

282

vel cantavi vel oravi, sed me ipsum audire nequivi. Aliae officinae conventus sunt etiam pulchrae, ecclesiae ambitus, dormitorium, refectorium etc. Sed ruinas cottidianas nemo reficit, et unum post alterum ruit, et pauci sunt ibi fratres, qui sibi ipsis provident non curantes de ruinis murorum. Fratres etiam minores duos habent ibi conventus, unum in civitate grandem, alterum in suburbio, in quo etiam fratres Augustinenses conventum habent pulchrum, qui non longe aberat hospitio nostro. Stalla vel sedilia chori sunt ingenioso artificio de lignis cypressinis facta, ita, quod supra quodlibet sedile est sculpta imago aliqua, Domini Jesu, beatae Virginis, apostolorum omnium, beati Augustini, et imagines patronorum ecclesiae. Sed imagines illae passae sunt injuriam, quae etiam usque in contumeliam imaginorum pertingit; quidam enim graecus haereticus, occulte ingressus ecclesiam, abscedit nasos omnium imaginum et opus egregium et devotum confudit. Sic enim Graeci, ubicumque possunt, nostras confundunt ecclesias, et si eis aditus ad sacra et sacramentalia patet, in odium Latinorum vel ea furantur vel effundunt.

In eodem suburbio est hospitale magnum S. Antonii, quod habet dormitorium cum multis cellis pro collocatione peregrinorum de Jerusalem venientium, in quo etiam aliquando hospitatus fui; modernus hospitalarius est Teutonicus de Landshuta.

Extra urbem prope est monasterium magnum Cologerorum ordinis et regulae S. Basilii sub abbate monasterii S. Catharinae sub monte Sinai, ad quod etiam omnes decimae totius insulae spectant, quas contulit eis quidam archiepiscopus Cretensis ob devotionem ad S. Catharinam. Vidi in eadem ecclesia etiam bullam papalem, in qua indulgentiae dantur porrigentibus manus adjutrices illi monasterio; et apud me satis mirabile est, quod decimae et indulgentiae dantur personis non (B) catholicis. Notum enim est omnibus, qui in monte Sinai fuerunt, quod monachi illi non subsunt romanae ecclesiae, nisi fingant se propter lucrum subesse, de quo vide fol. 70.

Praeter nominatas ecclesias sunt adhuc plures Graecorum ecclesiae.

Haec insula fuit olim per se regnum, et bellicosissimi reges in ea fuerunt, qui mundum domuerunt, sed postea ad regnum Graecorum est assumta et honore regio privata.

